



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis  
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev  
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

IV. Codex Canonum non solùm receptus in Galliis, sed etiam in Hispania;  
ubi nova Collectio concinnata est à Martino Bracarensi. Zacharias,  
responso ad Consultationem Pippini, extrinctam codicis ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

propter vulgatam eorum famam, ponuntur. Infrā: Ceterum iidem canones qui vocantur *Apostolorum*, non ab Apostolis conscripti esse creduntur. Mox: Sed & B. Gelasius in catalogo, qui libri ab Ecclesia recipiantur, de his *Apostolorum* canonibus penitus tacuit, sed nec inter apocrypha eos misit. Quapropter in lectōne illorum sequenda est cautela ab eodem S. Gelasio premonita: Cum hec, inquit, ad catholicorum manū advenient, beati Pauli Apostoli precedat sententia, que dicit: Omnia probate, quod bonum est tenete. Incidit Hincmarus in codicem mutilum synodi Romanæ sub Gelasio, in quo liber canonum apostolicorum est omisus, qui in vulgatis codicibus inter apocryphos recensetur, ut dixi capite superiori. Ceterum collectio Isidori non dissimulavit etiam quinquaginta capitula horum canonum ab omnibus non probari: cùm in genere ante de omnibus dixisset, ab hereticis esse confitos, & à sede apostolica repudiatos. Quod sāne de quinquaginta canonibus dici non potest, quos sedes apostolica inter ceteros canones numeravit; ut patet è Ioannis II. epistola, & decretis Zachariae, que Isidori collectionem praecedunt. Itaque recte Leo IV. ceteris canonibus quos Ecclesia Romana in iudiciis sequebatur, apostolicos quinquaginta adjungit; & Humbertus Silvæ-Candidus Episcopus in Disputatione adversus Nicetam, his solis vim canonum tribuit, ceteris in numerum apocryphorum rejectis.

IV. Ceterum è loco Gregorij Turonen sis egregiè probatur usus codicis canonum qui obtinebat in Gallia. Eius auctoritas recepta quoque erat in Hispania, ut patet ex Concilio Bracarensi habitu anno quingen tesimo sexagesimo tertio. Verum Martinus Bracarensis Episcopus, qui è Græcia migraverat in Hispaniam, novam collectionem instituit, eo consilio, ut Latinæ interpretationi vel obscuræ vel minus emendatæ scriptæ consuleret, atque contraficiis in pauca canonum verbis unum capitulum è variis locis interpolaret; ea methodo usus, ut qua ad Episcopos & Clerum pertinerent, in prima parte, quæ ad laicos, in secunda conscriberet. Hæc collectio à Concilio Lucensi in Gallæcia probata fuit anno D L X X I, quam sāpe laudat Gratianus sub nomine Martini Papæ in Concilio. Eversa tandem per bellorum civilium motus in Galliis ecclesiastica disciplina, cùm Pippinus Major domus de ea restituenda sollicitus, consilio Ecclesia Gallicanæ Zachariam Papam de quibusdam articulis consiliosissimo anno D C C X L V I I. Summus Pontifex viginti septem capitulis consultationi respondit,

quæ Canonibus & Decretis Pontificum è collectione Dionysij ad verbum transcripsit munivit. Vbi profert canones apostolicos, Ancyranos, Neocæsarienses, Antiochenos, Chalcedonenses, Africanos, & Decreta Siricij, Innocentij, Leonis, & Gelasij, iidem numeris distincta quibus apud Dionysium. Tandem Hadrianus primus codicem illum Carolo Magno dono dedit, ut testantur versus Hadriani ad Carolum prescripti: *A lege nunquam discede, huc observans statuta; non quod Gallia eo libro caret; sed ut munere illo, quæ partes Regis essent, & omne studium ad tuendos canones, & Decreta Pontificum illo codice comprehensa, impendere admoneretur.* Quod ille sanè egregiè præstítit, & successoribus suis exemplum hujus curæ subeundæ præbuit. Porro in Capitularibus suis non solum Dionysij interpretatione, sed etiam veteri, quæ extat in collectione Isidori, promiscuè utitur.

V. Codex ille canonum auctoritatem suam inviolatam retinebat anno D C C X L I X, cùm Leo IV. Pontifex, Relatione Episcoporum Britanniæ consultus, respondit apostolicam sedem in ecclesiasticis iudiciis canones tantum usurpare, & *Decretalium regulas, id est, inquit, que habentur apud nos simul cum illis in canone.* Tum canones recenseret, & Decreta Pontificum, quæ collectione Dionysij continentur. Locus hujus epistolæ, quæ integra extat tomo tertio Conciliorum Galliæ, relatus apud Gratianum, sinceram genuinamque Leonis mentem prodit. Etenim suppositiis antiquorum Pontificum epistolis, quæ jam à sexaginta annis sub Isidori nomine consarcinatae, per Europam sparsæ vulgabantur, locum inter canones dare noluit. Hæc est enim verborum illorum sententia, cùm de regulis Decretalium loquitur, *id est, que habentur apud nos simul cum illis in canone;* statimque non Anacleti, Evaristi, ceterorumque Pontificum *γένεται* epistolas enumerat, sed Siricij, Innocentij, Zozimi, & aliorum Pontificum, quæ habentur in collectione Dionysij. Quare quod Leo Pontifex ad cetera decreta Silvestri canones adjungit, omnino delendum est; quia, sine dubio, vitio exscriptoris in textum irrepsit; præsertim cùm illa tempestate nondum Canones Silvestri nec apud sedem apostolicam nec apud provincias recepti fuissent, ut docet Hincmarus.

VI. Observandum tamen est, Ecclesiam Gallicanam in controversiis dirimendis non solo codice canonum usam, sed etiam Gallicanarum synodorum canones usurpasse;

*Isidorus in Prefat.  
Propriis eorum au  
torebus ceteri  
preservantur. Ca  
nones, qui dicuntur  
Apostolorum,  
libet à quibusdam  
apocryphi dicantur.*

*Ioannes II. an 534.  
Zachariam an. 747.*

*Humbertus an.  
1049.  
Canones Apo  
stolorum numerantur  
inter apocryphas,  
exceptu capitula  
50, que derreve  
runt regulam or  
thodoxiæ adiun  
genda.*

*Hincmarus pp. 5  
c. 11. Sc. pag. 10  
Mogaz.*